Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 357
Quelle:
Copyright:

le: *A ſolis ortus cardine* &c. cujus partes Sacerdotes in officio chori legimus, et XXIII. Τετρασιχα a totidem Alphabeti literis per ordinem incipiunt. Si cum *Bibl. PP. ſupracit.* conferatur, praeter errores typi ibidem non raros legitur in Q. *mortisque liber* pro *cunctisque liber*, in R. *cruoris torridi* pro *horridi*, in X. *quas alloquuntur angeli* pro *quas allocutus angelus*. Ut hanc literam exprimeret Autor, ad graecum Ξηρῷ i. e. *arido*, *exanimi* confugere opus habuit, niſi dicas τὸ Xero ab imperitis Librariis ex *Xpi* deformatum fuiſſe, ut ſit: *Xpi myrrham poſt ſabbatum quaedam* (Mulieres) *vehebant corpori;* is enim mos *Chriſti* nomen exprimendi ita medio aevo invaluit, ut in Codicum Indicibus alphabeticis nomen iſtud plerumque non in C. ſed in X. quaerendum ſit.

Pag. ult. duplici columna extabant Avium, Quadrupedum et Arborum nomina Verſiculis incluſa, ſed enim ita detrita et evanida ſunt hodie, ut non niſi veſtigia legere liceat. Initium erat:

Hic uolucres celi referam ſermone fideli.

Singulis impoſita fuit adpellatio theotiſca, et ſunt, quae e fuga retrahere potui: Niſus *ſparawer*, Ciconia *ſtorch*, Picus *ſpeth*, Pica *aglaſtra*, Turtur *turdiltub*, Monedula *taha*, Vultur *gir*, Aquila *arn*, Pariſculus *chunich*, Herodius *witwalch*, Columba *toub*, Corvus *rab*, Cornix *chra*, Ficetula *ſneph*, Perdix *rebhuon*, Fringellus *vinch*, Niticorax *nahtram*, Amarellus *æmerinch*, Milvus *wihe*, Parix *meiſa*, Anſer *gans*, Orix *hebara*, Sturnus *ſtara*, Turdela *droſel*, Turdus *prachuogel*, Merula *amhſla*, Faſianus *faſhuon*, Grus *chranich*, Pauo *phaue*, Anas *ente*, Furfarius *dorndrel*, Sparalus *haſelhuon*, Attagen *birchuon*, Strucio *ſtruz*, Paſſer *ſperch*. Rinoceros *einhorn*, Camelus (Elephas) *olbent*, Urus *urn*, Bubalus *wiſinth*, Alx *elha*, Aper *eber*, Cervus *hirz*, Hinnulus *hintkalph*, Capra *geiz*, Linx *luhs*, Lupus *wolf*, Lepus *haſo*, Vulpes *uoza*, Martarus *marder*, Miga *herm*, Caſtor *piber*, Muſtela *wiſla*, Glis *eymus* uel *pilch*, Spirialus *eichhorn*. Ficus *fichboum*, Laurus *lorboum*, Populus *albere*, Prunus *pfruomboum*, Malus *afpholter*, Ceraſus *chersboum*, Abies *tanna*, Picea *foraha*, Pinus *chien*, Pirus *pirboum*, Eſculus *ſperboum*, Platanus *ahorn*, Quercus *eich*, Fraxinus *aſſach*, Tilia *linth*, Fagus *buocha*, Acer *mazolter*, Caſtanea *cheſtenboum*, Tremula (Populus) *aſpa*, Taxus *iha*, Salix *ſalaha*.

CCXXX.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 44. 8. charactere luculento exaratus, minioque illuſtratus aliud Exemplum eſt *Operis Paſchalis Coel. Sedulii* tacito Autoris nomine inſcriptum: *Incipit Prefacio ſacri operis ueteris et noui teſtamenti.* Ex hoc itidem Exemplo, quamvis nec ipſum R. 3177